

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LIII. De Templorum Antiquitatibus

urn:nbn:de:bsz:31-102564

phii nefas averfabantur, sed Theodosii fraudibus circumventi simplex et incautus animus, iratiore ecclesiae fato, omnia libidini et arbitrio Chrysalphii permittebat. Dehinc rebus istis Romam perlatis, Leo Valentinianum Placidiae Filium, Romae adhuc imperantem, simulque Eudoxiam Theodosii Filiam adibat, et ab illis lacrymabundus petebat, ut ad Theodosium literas darent et Augustum persuaderent, synodum novam cogeret, quae impia Ephesini conventus acta rescinderentur. *Niceph. l. d. pag. 49.* Quod tamen enixe faciebant, nihil tamen aliud impetrarunt, quam ut ad filiam rescriberet, Flavianum iusto Dei iudicio extinctum, ut contentiones, ad distrahendos animos excitatae, vel sic tandem finirentur. *Council Chalced. P. I. Epist. XXXI. p. 26.*

§. XXXI. Ad extremum re diligentius perpensa, astum malitiamque Chrysalphii intellexit, et Flavianum iniuste damnatum fero demum perspexit. *Niceph. l. d. p. 49.* Quapropter Chrysalphium Eunuchum primo dignitate, deinde, omnibus fortunibus multavit, et lata sententia impium fraudis molitorem in insulam relegavit, quam cum peteret mare traiecturus inter navigandum, evidenti irae coelestis indicio, e vita excessit. Eudoxiam coniugem, tot malorum auctorem foeminam, acriter obiurgabat. Pulcheriam denique, germanam pietatis et prudentiae compertam virginem, ex aula, dudum eiectam, sapienter revocavit, quae aliquanto post reversa, missis Ephesum certis hominibus, Flaviani cadaver Constantinopolim transportandum curavit, atque id per mediam urbem solenni cum pompa illatum, in templo sanctorum discipulorum Christi composuit, et suprema eius rite decoravit. Nec multo post pestilentissimi erroris Eutychiani vires deleatae sunt, exento vivis Theodosio, et Concilio Chalcedonem indicto, quod auspicio iussuque Marciani accidit, cui nupsit Pulcheria, et felix connubium, pariter atque imperium marito attulit, et praecipue curam Ecclesiae causamque religionis ei commendavit. Idcirco indigne habiti, ac praeter meritum proscripsi Antislites, quos Ephesini latrones eiecerant, multumque afflixerant, ab exilio revocati, et comiter accepti, et dignitatibus ornati, benigniori fortuna utebantur, documento futuri posteris, tutissimum esse praesidium conscientiam recti, et constantiam in adversis,

LIII. DE TEMPLORUM ANTIQVITATIBUS.

SVa quaeque gentes templa, aut pro templis, clivos montium, lucosque habuerunt, ut locus esset rei divinae circumscriptus et proprius, ubi statim tempore convenirent homines, remotique a strepitu et profanis negotiis, sacra sua obirent.

CCCC 2

Vete.

Veteris Latii consuetudo tenuit, ut quilibet locus excelsus et patens Templum diceretur, quemadmodum exempla docent apud Ennium (cuius versus, non citato auctore, servatus a Varrone est, l. VI. de LL.) Lucretium l. V. et Plautum in Milite glorioso, A. II. sc. 5. in Rudente A. IV. sc. 2. Vergilius de sepulchro extulit, ut putat Servius Aeneid. V. 457. Quamquam rectius de sacello exponitur, cum usitata vocabuli significatio commode retineri possit, et Poetae instituto conveniat, ritumque veterem, ab Ovidio non ignoratum, ostendat. Taubmannus dubitat, et more suo nihil definit, contentus referre discrepantes sententias, quas diiudicandas aliis relinquit. Livius (a) singulariter ad rostra induxit, haud in seite quidem, si eorum structura consideratur, VIII. 14. Idcirco dicturi Quirites, ascendebant in rostra, neque alia, quam ascendendi formula utebantur. Sed usitatiore significatione templum de aede (supra, et infra terram) pronunciatur, quam ideo excellam vocat Ovidius, in Metamorph. ultimo libro. Ante hanc Ennius scripsit, templa alta, quae, interprete Varrone, sub terra erant, et Acherusia Orbi dicebantur. Nominis origo in Latia requirenda est, et omnino Varroni, sed alibi in scrutandis vocabulorum originibus minus felici, assentior, qui a tuendo dici affirmat, libro paulo ante commemorato. Templum ergo velut tuempulum, (b) ratione originis dicitur: hinc tempulum antiquae usurpatum, at extrusa post literam, templi nomen relictum, et Latina civitate donatum, atque in literas et monumenta relatum est, quamquam priscae inscriptiones adhuc tempuli memoriam servant, meamque adeo sententiam confirmant. Iosephus Scaliger a $\tau\epsilon\mu\epsilon\nu$ deducit, hoc a $\tau\epsilon\mu\epsilon\nu$ oritur, quod rei quidem satis convenit, et separatim aliquid circumscriptumque notat. Sed primam nominis occasionem causamque, a Varrone indicatam, et ab aspectu sumptam, non aperit, propterea quod augures designaturi spatium, constituere locum, et circumscribere solebant, lituoque intra certas regiones finiebant, atque oculis metiebantur. V. Varro l. c. Catonis Oratio de Auguribus amissa est, ubi per paucae lineae supersunt. (c) Adicit, pro adicit, recte, et antiqua consuetudine positum: exauctoratas, pro exauguratas, irrepit, quod ex Festo corrigendum. Apud eundem de auguribus fragmentum. Servius in Eclogam IX. et Aeneid. l. I. ac l. VI. Livius exaugurata (non exauctorata) perinde ac inaugu-

(a) Ante Livium Cicero orat. in Vatinium.

(b) A tempulo est extempulo, $\tau\epsilon\mu\epsilon\nu$ $\sigma\upsilon\gamma\kappa\omicron\pi\eta\nu$, extemplo, idem quod, ilico, sive ut Varro reddit, continuo. Prius extat apud Plautum, Aulular. A. I. sc. 2. Id quod metri Plautini ratio requirit.

(c) Livius l. 18. cum quo iungendus Cicero de divinatio. I. et II. et de Legibus II.

inaugurata *fanā* (d) dixit. I. 55. Quo argumento firmāda est vetus lectio orat. in *Vatinium*: in illo inaugurato templo ac loco. Amplius hoc verbum exaugurandi usurpavit Cato in libro I. Originum: apud Festum Latino finiendi verbo respondet Graecum ὀψίλειον, quo usus est Herodotus in libro III. qvi Thalia inscribitur, cap. 142. Τέμενον περὶ αὐτὸν (ἑωμόν) ἔειπε. Valla convertit: fanum in circuitu designavit. (e) Ergo finitus hic designatusque templo locus, verbo sermonis Ionici indicatur, fanumque redditur ab Interprete, quia nondum erat conseptus, et aedificio carebat, si maxime etiam consecratus esset. Graece dicitur τέμενον, id est, agri separati (si vim etymi inspicias, scissi, abscissi, secti, refecti) portio, quae deinde ad sacros usus accommodata, ac Deo divisaque attributa et consecrata est: hoc modo evenit, ut consuetudine loquendi haec vox generatim templum fanumque, et delubrum, quae ceteroquin differunt, significaret. Appianus (f) quoque τὸ τέμενον, et τὸν ναόν distinguat, et illud conseptum fuisse, non obscure prodit, quia, obsidente Carthagine Scipione, nongenti transfugae eo se receperunt, quemadmodum in libro de bellis Punicis tradit. Et nemo est, qui nesciat, Aesculapium templi honore cultum, quo ibant aegroti, aut quum ire non poterant, asportabantur, ut vel ex solo Aristophane satis liquet. Zostimus etiam hoc significatu sumpsit, et τῆς γερσίας τὸ τέμενον dixit, l. V. c. 24. Recte templum convertit interpres, propterea quod Senatus Romae in templo Castoris, et Bellonae habitus est, sicut ex Tullio et Livio constat. Alibi τέμενον denotat locum in Sicilia, qui et τρυφίτης dicitur, Thucydides

Ccccc 3

(d) Auguratus nomen dignitatis est, apud Livium, non participium. X. 7. Inaugurare verbum ei usitatum, non augurare I. 7. Inaugurato (perinde ac L. 18. augurato) adverbium, ut auspiciato I. 36. pro barbaro, inauguraliter. Et hoc quidem usu loquendi Liviano. Inauguratum est proprie ritu augurali constitutum, ut templum. Auguratum dicitur, quum augurium captatum est, nulla templi locive adiectione. Cornelio Frontone potior est Patavini loquentis auctoritas, quippe Ciceroni propioris, et iuris ritusque auguralis, ac verborum adeo formularumque peritioris. Augurare apud Ciceronem II. de Legibus, est augurium capere, eoque capto, divos precari, fertilitatis felicitatisque impetrandae causa, ut ex Catone patet. Non enim dicit, templa auguranto, sed vineta virgetaque, et salutem populi auguranto. Quae Fronto Grammaticus non est affectus, ut augurandi ac inaugurandi discrimen internosceret et explicaret.

(e) Proprie templum circa aram finivit, id est, templo aram circumscripsit.

(f) Sic Herodotus II. 64. Templum et fanum differunt quidem, sed usu auctorum saepe commutantur. Sic Aesculapii templum, Valer. Max. et Ovidius, Plautus fanum nominat. Inscite autem, si usum Latinitatis specto, Laur. Valla allatum Herodoti locum convertit, in Deorum templis atque in fanis, qui convertere debuisset. In delubris Deorum atque in fanis. Nemo hoc ignorat, nisi emendatae et optima Latinitatis, spectatim Tullianae et Livianae, ignarus.

dides l. VI. et ibidem Scholiastes. Ναός (Attice νεὸς, Ionice νηός) de templo et fano effertur, non de sacello. Nam μὲγας νεὸς non parvum templum, sed templi parvam effigiem simulacrumque notat, quod ante Salmasium Beza animadvertit, in Actus Apostol. XIX. 24. Ovidius parvum sacellum dixit aediculam Iano dedicatam, Fastor. l. 275. Festus sacellum interpretatur locum Diis sacratum sine tecto. Aulus Gellius ex Trebatio Iureconsulto docet, sacellum esse locum parvum Deo sacratum cum ara. N. A. l. VI. c. 12. Quod confirmatur ab Ovidio, aram sacello coniunctam memorante, quoniam et templa in loco fulgure tacto (g) extructa excipiuntur, quae superiore tecti parte patuerunt. Speciatim tecto caruit templum Termini, cui, auctore Servio, sub dio sacrificatum est, quorsum spectat Ovidius Fastorum libro II. 672. Quod Poeta hic templum, Livius fanum nominavit, sed fana sacellaque distinxit. l. 55. A fano oritur defanare, quod est augurale et sacrum, in quo particula verbum inchoans, non auferit, sed ponit, ita ut res fani iure constituatur. Apud Arnobium, antiquitatis ecclesiasticae Varro lego, spatiosa defanata, quae expono, parvula templorum spatia ab auguribus designata, l. IV. adversus gentes. Sic profanare est proprie fano tradere, adeo ut pristini juris esse desinat, et fani fiat: profanatum, quod in sacrario pollutum (polluctum legi debet) ut Varro describit l. V. de LL. Verrius de significatione verborum, ex eoque Festus. Hoc polluctum, finito sacrificii ritu, (h) ex carniis reliquiis et exitis in sacrario publico, aut fano apparatus et praebitum populo est, cuius moris testimonia passim extant. Pollucere, est comparare dapes ad instituenda Deorum convivium, quae prisca superstitione consinxit. Huc spectat Cato in libro de re rust. cap. 132. Plinius H. N. l. XXXII. c. 2. ubi auctoritate Veterum codicum, et rei subiectae argumento, recte scribitur, pollucerent, non pollincerent. Eodem modo polluctura, cuius meminit Comicus, nihil cum pollinctura, neque cum funebri epulo commune habet, in Stichus A. V. sc. 4. Huius verbi causa legendus est Festus in v. pollucere. Extremo delubrum a deluendo, (i) perinde ut pollubrum a pollucendo ducitur, quia in fonte, qui propter templum erat, lavabantur homines et deluebantur, cum exinde aqua essueret, et labro ad corpus abluendum exciperetur. Id quod imprimis colligo ex Isidoro, auctoritate veterum

(g) Fulguritum Festus nominat, in h. v.

(h) Apud Herodotum Cleobis et Biton una sacrificarunt, et epulis in templo apparatus una interfuerunt. l. 31. Ad tale convivium invitavit Evander Aeneas. Verg. Aen. VIII. 172. seq. Ad huiusmodi epulas Christiani veteres, peracto sacrificio, ab amicis, sed in Dei civitatem non ascriptis, invitati sunt, quem morem improbat et aversatur gentium doctor, et Christianos eius rei causa convenire vetat. I. Corinth. II. 4. 7. seq.

(i) Quo originis indicio corrigendi sunt Isidorus et Fronto, apud quos extat diluendi verbum, quod vitio librariorum obrepit. V. Vossius Etymol. h. v. Ouzelius ad Minutium Felicem, Gutberius, Gyraldus, alique.

vum subnixo, orig. lib. XV. c. 4. Cum quo iungi possunt Asconius Pedianus et Servius, qui morem hunc priscum indicant, et Cornelium Frontonem imprimis suffragatorem habent. Varro, Macrobius, et Festus ritu hoc praetermissis, longius abeunt, quum vocabuli originem scrutantur. Nec modo fontes et lacus, sed etiam vivaria piscium, ut Aelianus tradit, iuxta veterum templa fuerunt, histor. animal. l. XII. c. 30. Cicero templa atque delubra coniunxit, (k) et hunc saepe imitatus Arnobius, conuerso ordine, delubra et templa, scripsit, lib. VI. aduersus gentes, Livius, cum formulam dedicationis Collatinorum perscribit, tum delubra nominasse, satis habet, nihil de templis, aut de fanis sacellisque addit, quae tamen simul esse dedita, vel argumento dedititii populi, qui nihil excipere, neque voluit, neque potuit, colligamus. lib. I. 38. Sub delubris autem quin plura Numina intellexerit, haud ambigo, si Servii delubrum explicantis auctoritas valet. (l) Quamquam Patavino sua fides constat, qui non solum delubra, verum etiam divina humanaeque omnia Tarquinio, populogque Romano dedita fuisse, scribit. (m) Idem fanis templique nomina eodem libro permutat, alterumque exponit per alterum, sic ut aliquando saltem pro vocabulis, idem significantibus, habere videatur. Cum enim semel et iterum Dianae fanum dixisset, tum in extremo capituli XLV. subiicit, Sabinum ex templo (Dianae) ubi sacrificare voluit, religione loci, et auctoritate Antistitis impeditum, descendisse ad Tiberim, et sacrificio abstinuisse manum. Erraret vehementer ac ineptiret, qui ex templo coniunctim hic legendum putaret. Illud constat, σηκῆς apud Graecos fana reddi, quamquam Pollux autumat, proprie id nominis tribui Heroibus, Poetas tamen quoque ad Deos referre. Onomast. l. I. c. 1. At enimvero Dionysius Halicarnassensis scriptor purus, et acris existimator Graeci sermonis, in oratione prosa, etiam Diis vindicavit, Antiqu. Rom. lib. IV. Ἐν δὲ αὐτῷ (καλεῖσθαι τὸ Καπιτωλῖνὸν τὸ ἱερόν) τρεῖς ἕνεσι σηκοὶ περιέδηντο. In illo (templo Capitolii) tria insunt (intus tria sunt, Sylburgius) fana (alii aedes verunt) quae (aequali intervallo) aequaliter ab se distant. Nunquam scriptores Romani uno plura Capitolii templa memorant, sed tria fana consentientes tradunt. Ibidem Dionysius αἰστὸν καὶ τρίαν coniungit, indicans templorum partem, quae tectum in fastigium exit, aquilae imaginem habuisse. Quo factum est, ut ἱερῶν τρίων Graece loquentium instituto, πρὸς καὶ αἰστοὶ, passim dicerentur. Inde recipit interpretationem divinus codex, in quo legitur, πρὸς τῶν τῶν ἱερῶν, apud Matthaeum, c. IV. 5. et Lucam, IV. 9. De Grammaticis addo, eos plerumque vocabula distingvere, quae idonei scriptores promiscue usurpant. Ex horum numero est Ammonius audacior ceteris, et interdum approbare ausus, quae alii de σηκῆ et ναῖς differentia referre potius, quam asseverare solent.

§. II.

(k) Catilin. IV. sed in Catilin. III. scripsit: templis, delubris.

(l) Per multum ei tribuit A. Schottus, ex eoque Grippum Ausonii exponit; recte quidem, sed rectius in Dionysio Halicarnassense fontes demonstrasset, observ. l. II. cap. 33.

(m) Similiter atque l. VII. c. 31.

§. II. Quamvis autem inter gentes ab coetu Dei remotas, primi omnium Aegyptii templa habuerint, aliqui tamen populi his diu caruerunt, et religionis propterea studio disciplinaque ceteris nihilo inferiores memorantur. Quod traditur quidem de Persis, et de Germanis certo constat, ad quorum sententiam accesserunt multi doctrina insignes, et sapientia praestantes viri, templaque aedificari vetuerunt.

De Aegyptiis testem profero patrem historiae Herodotum, apud quem haec leguntur, in Euterpe II. 4. (n) Βωμὸς τε καὶ ἀγάλματα, καὶ νηὲς θεῶσι ἀπονέμαί σφας πρώτως, scilicet ἔλεγεν, quod ἀπὸ κοινῆς hic repetendum. Magna est Herodoti auctoritas, qui scriptis mandavit, ac testatus est, aras, et simulacra, et templa primos constituisse Aegyptios, quod eorum placitis convenienter tradidit, cum monumenta, ut haud obscure indicat, proferre non posset. Facile tamen Aegyptiorum templa vidit, et quia in Aegypto versatus est, structurae indicio aliquid colligere potuit, imprimisque audire gentis sacerdotes, quorum tamen fides in re domestica non extra suspicionem fuit. Multis post seculis Lucianus, quem non fugiebat hoc testimonium, retulit magis, quam confirmavit. In dial. de Syria Dea. Πρώτοι μὲν ὧν ἀνθεγόπων τῶν ἡμεῖς ἴδουσιν, Αἰγυπτῶν λέγονται θεῶν τε ἐνοίην λαβεῖν, καὶ ἱεῖα εἰσιδῆαι καὶ τεμεῖνα. Perhibentur, inquit, primi hominum quos scimus, Aegyptii accepisse (Graecismum imitor) Deorum notitiam, et templa statuere ac lucos. Plato, qui in Aegyptum commigravit, et discendi causa ibi versatus est, fabulosas illorum antiquitates, etiam quae ad simulacra pertinent, non reticere voluit, lib. II. de legibus. Clemens Alexandrinus prodidit, antiquissima gentium templa pro sepulchris fuisse, in protrept. Clementis testimonio usus est Eusebius, in lib. praeparat. Evang. II. c. 6. Quam in sententiam scripsit Arnobius, multa, eaque vetustissima templa, contegere cineres atque ossa, et functorum esse corporum sepulturas, lib. IV. adv. gentes. Id vero maxime in Aegyptiorum templa convenit, quos ex Regum sepulchris templa fecisse, neminem praeterit, et de Psammeticho confirmat Strabo Geogr. lib. XVII. Nec omittendus est Lactantius, scriptor disertus et pius, lib. II. de origine erroris. Non invidio Aegyptiis, quod primi templa condiderint, sed miror impudentiam, quod in templis religionem contempserint, honoremque Dei contaminarint, apud Herodotum II. 64. Equidem Apollonius, Poeta vetus, hoc Deucalionis tribuit, Thessalo illi, et Promethei filio, qui primus urbes et templa aedificavit. Ὁς πρώτος ποιῆσε πόλεις, καὶ εἰδείματο νηῆς. Argonauticorum l. III. Verum hoc Deucalionis Thessali institutum, ultra Thessaliam, et Graeciam proferri non debet, propterea quod in Thessalia regnavit, ibique aras et templa dedicavit, ut ex Hel-

lanico

(n) Βωμὸς et ἑπιβωμὸς in glossario distinguuntur, ut apud Latinos ara, et altare differunt: illa Diis superis et inferis, hoc tantum superis veterum superstitione consecratum erat. Aliquando tamen usus utrumque confundit. Βωμὸς etiam extra profanam Poetarum consuetudine de templo efferi solet.

lanico liquet, cuius auctoritate se fulcit Graecus interpres b. l. Non secus, atque in La-
tio primus templa extruxit Ianus, ille Ianiculi conditor oppidi, quod Roma antiquius
celebratur. Hunc adeo in supplicationum divinarum formulis semper praefati sunt,
huiusque ope ad Deos aditum patere crediderunt, de quo Macrobitum legere, operae
pretium sit, lib. I. Saturnal. cap. 9. Ante hunc Ovidius Fastor. lib. I. 171. seq. At hi et alii,
post Aegyptios, templa exaedificarunt, et eorum exempla secuti sunt, quorum in archi-
tectando et dimetiendo solertiam, atque in struendis Nilis aggeribus peritiam admirari so-
lebant. De Graecis id non difficile probatu est, quum Graeci ipsimet non insicari possint,
rationes divinandi in templis, et instituendorum ibi congressuum, ritusque alios, ab Ae-
gyptiis transisse ad cives ac populares suos. Herodotus IV. 58. Hebraeorum templa non
excipio: quippe quae Aegyptiorum templis recentiora sunt, et multo post aedificari coe-
pta a populo, legibus Aegyptii dominatus soluto ac libero, et ex calamitatibus durissimae
servitutis, atque itinerum molestiis refecto, viribusque deinceps, quod maxime contigit
sub Regibus, confirmato. Id ut fieret, maiorque operi dignitas et splendor accederet, in-
signe temporis intervallum interiectum est, quod subductis rationibus, conficit summam
quadringentorum et octoginta annorum. (o) Nec vero statim huius structura templi
perfecta est, cum tres certe anni consumpti fuerint in curandis et comportandis rebus,
quarum usus in exaedificatione necessarius erat. Ut nihil dubitem praeferre hoc tem-
plum aeleri, quod Zorobabel, splendidum alioguin, et maiestate loci dignum, sed infra
prioris magnificentiam, extruxit. (p) Omnino autem ista opinio falsa, et ex quorundam
animis evellenda est, quae eo spectat, ut imperitis persuadeatur, occasionem struendi
templi a consuetudine gentium, formam rationemque exaedificandi a templis Aegyptio-
rum fuisse desumptam. Quod voluntati Numinis, templa, arasque et simulacra im-
piorum hominum, diris praecipientis, et pietati Salomonis, aedem novo exemplo molien-
tis, directo repugnat. Aegyptii, Deo invisi homines, et Hebraeis exosi pariter, ex Mau-
solaeis Regum et sepulchris, templa construebant, eaque omni impietate foedabant,
quorum effingere speciem, et exprimere formam, rationemque extruendi templi
externam, et a peregrina gente petitam consecrari, Hebraeis religio fuit. Non
spectabat ad gentium instituta Salomon, neque hac architectandi figura egebat.
Rex maximus, cum omni recondita sapientia, tum imprimis aedificandi scien-
tia praeditus, eaque in re, Dei et patris mandato obsecutus, Aegyptiorum, et fuitima-

Dddd rum

(o) Epocha haec non Iosephi, cuius rationes hic variant, sed sacri codicis auctori-
tate constituenda est, a quo dissentire, et numeros mutare non licet.

(p) De Zorobabelis templo legendus Iosephus Antiq. lib. XV. cap. 14. de templo
Salomonis l. VIII. c. 4. Illi quidem (secundo) nec sine causa, praefert novissimum Hera-
dis aedificium, cum ob magnitudinem, dum ob substructiones admirandas. V. et lib. VI.
cap. 6. de bello Iud. Significanter has commemorant Matthaeus XXIV. 1. et Marcus XIII.
1. conf. recentiores Ribera, Villalpandus, Torriellus, Arias Montanus,

rum gentium templa, velut impietatis domicilia, odit et execratus est, idque vocibus et argumentis multo apertissimis ostendit. Qui dissentiunt, ingenio indulgent, circumspicite, si quid eiusmodi tradunt, legendi, inter quos Ioannes Spencerus, vir multae doctrinae est numerandus. Illud etiam paulo ante submonui, quasdam gentes refugisse ab usu templorum, quod de Persis comprobavit Herodotus et consignavit, eos nec statuas nec templa, neque aras extruere solitos, sed in editissimis montibus sacra facere, et Iovi hostias immolare l. I. 131. Requiro hic maiorem scriptoris diligentiam, qui intervalla templorum et Persarum actates distingvere omnino debuisset. Nam sequiores Persae templa habuerunt, et in templis sacrificarunt, quod Xenophon ipse de Cyro confirmat, Cyropaed. l. IIX. Huius auctoritate impeditus, non assentior iis, qui tradunt, primam apud Persas templorum originem Artaxerxi esse vindicandam. Id enim testimonio Xenophontis refellitur, et praeter hoc, causam dissentiendi praebet (q) Cyri edictum, qui Hebraeis templi aedificandi potestatem fecit, eoque certe argumento ab usu et structura templorum haud alienus fuit. Spencerus cursim tractat, lectoremque ad Holsinium delegat, quem non satis limasse hoc antiquitatis genus, et literaturae minus peritum fuisse, non vulgariter eruditi non ignorant, in dissert. VI. cap. x. de nat. et orig. templi. De Ioanne Marshamo miror, multa alibi copiose, quae ad res veterum regnorum pertinent, tradidisse, hic ne summas quidem attigisse, nisi quod commemoratione de templo Salomonis instituta subiicit. Neque aliter in Aegypto. Can. Chron. ad seculum XIV. Sed haec non eo scripta sunt, ut aequalem sancti huius, et profani Aegyptiorum templi magnitudinem confirmarent. Nam id cum veritate pugnat, ut locus Strabonis Geogr. lib. XVII. cum druinio, quod in veteris Instrumenti tabulis extat, oriculo collatus, talem fabricae aequalitatem non tuetur. I. Reg. VI. v. seq. Magna et excellenti sapientia Salomonis non Aegyptiorum instituta, (r) et aedificandi morem secuta est, sed Dei nutum voluntatemque pro regula habuit, tantique operis artifex, nihil ab ista, foedis cultibus dedita gente, in sanctam, Deoque dilectam rempublicam ascrivit. Tempia Serapidis, Osiridis et Isis, adytaque Anubis, et Sphinges atque obelisci, statuaeque superstitioni dedicatae, variaque simulacra, et humanae solertiae inventa ad Dei contemptum iniuriamque pertinebant, ut vel hoc impietatis argumento effingi exprimi que nollet. In allato Strabonis loco σαρὸς apte redditur delubrum, quod minus recte mutavit, fanumque substituit Marshamus. In ipso autem hoc antiquitatis argumento si non

(q) Templum aedificari iussit, sed aedificio templi modum statuit, extinctaque Cyri propagine, Darius Hystaspis haud secus fieri voluit, mensuramque magnitudini operis praescripsit, ut quidem tradit Iosephus Archaeol. lib. XV. c. ult. Eleganter τῆ ἀρχιτεκτονικῆν φράσιν scripsit τὰ μέτρα δὲ μήκους ἔδοσαν.

(r) I. Reg. V. 29. 30. Rex tantis animi dotibus praeditus, ut Aegyptiis quoque sapientia praesideret, et Dei ipsiusmet sententia nemo cum eo exaequandus inter homines esset. I. Reg. III. 12.

semper pro ea copia, quam haec doctrina postulat, tamen ingenue versatus est Hermanus VVitsius in libro, quem de Aegyptiacis inscripsit, lib. III. cap. 10. Redeo ad Persas, qui religionis colendae rationem, sine templis, iniisse memorantur. Quaequam enim summa animi industria et pietate sacra procurarunt, tamen aliquo temporis intervallo, sine ullis imaginibus ac templis Deos venerati sunt, et sacrificia in aperto celebrarunt. Quae Lactantii verba haud dubito quin spectent ad Persas, de quibus ante Lactantium Dinon, (s) pervetustus rerum Persicarum scriptor, et huius auctoritate nixus Clemens, Alexandriae presbyter, ille de orig. erroris lib. II. iste in admonitione ad gentes, Θύων ἐν ὑπαίθεω (τ) τὰς (τὰς Μάγας) ὁ Δίνων λέγει, Θεῶν ἀγάλματῶν ὡς τὸ πῦρ καὶ ὕδωρ νομιζόντων. Proximus a Clemente Origenes idem hoc tradidit, et posteritati commendavit, lib. I. et VII. contra Celsum. Ex profanis doctrina et fide eximii post Herodotum scriptores, Diodorus Siculus, lib. VI. et Strabo l. XV. Diogenes Laertius ex Clitarcho confirmat, τῶν ἑθνῶν καταγινώσκων (τὰς Μάγας) simulacra improbare, sive ut in novissima editione redditur, signa statuasque repudiare, sed illud proprium magis planumque existimari potest. In prooemio p. 5. Verum Strabo (u) ut secum ipse redigatur in concordiam, ratio conciliandi quaerenda videtur in diversis temporum intervallis, quae recte constituenda sunt, ut sacrorum sub dio peractorum ritus apte sibi constet et congruat, atque ad certum adeo tempus, sub magorum disciplina, durasse intelligatur. Nemo igitur tam audax sit, ut prima templorum in Persia structorum auspicia ab Artaxerxe petenda putet, quippe quae Cyrus multo ante cognita habuit, et sacrificii causa intravit, quod scriptum reliquit Xenophon, et praeter eum confirmavit (x) Iosephus, Cyrum, ac Darium Hystaspis filium, propensa quidem in Iudaeos voluntate, templi extruendi fecisse copiam, sed ne extra modum opus fieret, cavisse

D d d d d

hos

(s) Huius meminit, et plurimum ei credere se fatetur Nepos, in Conone sub finem. Citatur ab Athenaeo, Diogene Laertio, et Clemente Alexandrino, qui Dinonis (in epte Dionis scribunt) testimonio utuntur, sed eius duntaxat fragmenta quaedam superstant.

(t) Sub dio (non sub divo, ut mendosae Ciceronis editiones habent) sacrificabant, sed καὶ ὑπαίθεον Persae non habebant. Vnum Romae templum huius structurae est Pantheon, sive ut Spartianus in Adriano scribit, Pantheum, de cuius fabrica legendus est Vitruvius, scitissimus Romanorum architectus.

(u) Πέρας ἀγάλματα καὶ βωμῆς ἔχ' ἰδεύοντα, θύσαι δὲ ἐν ὑψηλῷ τόπῳ. Arae tamen habuisse, et septa quaedam sacra, sive sacraria, paulo post eodem libro ostendit. Idem ex Pausania conficitur. De Curtio quippe recentiori nihil addo. Arae ergo hae subdiales, non templis clausae fuerunt.

(x) Singulare testimonium, et cum Aggaei II. 7. conciliandum, nec tam de aequalitate splendoris aedificii, quam de gloria, ex propiore Christi adventu comparanda, intelligendum. Sed unde Iosephus hausert, non subiungit.

hos Reges, et edixisse. *Antiq. XV. 14.* Illud vero ex disciplina Pythagorae Numa accepisse traditur, quod nollet in templis reponere simulacra et imagines, ut quarum forma Deo repugnaret, atque a templis, et usu publico prohibenda esset, auctore Plutarcho, scriptore gravissimo in vita Numae, quod cum propter Livium, tum maxime propter antiquarios, simulacra Urbis inde a Romulo et Numa repetentes, observandum reor. Secundum Pythagoricos, Zeno Cittiensis Stoicorum princeps, huius sententiae fuit, atque a templorum usu abhorruit, nec aedificari passus est, ut honori Numinis consuleret, cuius neque imago pingi, neque maiestas templo concludi posset. Laertius in Zenone, Clemens Alexandrinus *Stromatum I. V.* Origenes *lib. I. contra Celsum*, Theodoretus *serm. III. de Angelis.* Quare hi arbitrati sunt, Diis omnia debere esse patentia ac libera, quorum hic mundus omnis templum sit et domus: prout de Persarum magis tradit Cicero *II. de Leg. De Stoicis idem sentientibus*, legendus est Plutarchus, libro, qui extat de repugnantibus sententiis Stoicorum. Magos insuper ignis perpetui custodes, ab hoc munere appellatos fuisse *πυραϊστας*, ex Strabonis libro *XV.* liquet. Idem *πυραϊστας* vocat, quae alii *πυραϊα*, Agathias *οικιστας* *ιστας*, recte Vulcanius aediculas sacras interpretatur. *Histor. Iustiniani Imp. lib. II. (γ)*

§. III. Germani veteres, de quibus separatim dici attinet, ut vocabula pleraque, sic ritus quosdam a Persis non abhorrentes tenuerunt, et communi consensu in sacris nemoribus et lucis sacra procurarunt, religionisque disciplinam sacerdotibus, ceremoniarum et moris patrii gnaris demandarunt, frequentesque eo, precaturi Numina sua, convenerunt, et interdum, ubi ad casus postulare et necessitas, de summa rerum, et belli negotiis, deliberarunt, neque id a pietate sua, quae cum amore et fide in patriam coniungitur, alienum duxerunt: quin testes rerum suarum Deos invocarunt, ut fortunarent consilia, quae pro salute publica susciperent, et suam patriaeque causam adiuverent. Tum sedes Numinum tutiores erant constitutae in lucis, aditusque ad illos hosti difficilior, et minor amittendi metus, quam in urbibus, ubi retineri vinculis et alligari solebant, ne ab hoste evocati excederent, patriamque desererent, et alio migrarent, sed manentibus iis, staret respublica, eorumque velut praesidium loci custodumque auxilio se tueretur. Nam huius instrumentum superstitionis passim in usu fuit, et credulitati pariter, ac formidini occasionem praebuit, ut studiose diligenterque evitarent, quod in magna fortunae varietate posset accidere, damnumque afferre.

Tacitus,

(γ) *V. Hesychius et Suidas h. v. τὸ πῦρ τοῖς Πέρσαις τιμῶν καὶ ἀγιάτων, καὶ ἀσβεστον. apud Agathiam: conf. Maximus Tyrus serm. XXXIX. Apud Strabonem recte legimus πυραϊθεῖα, editio Basiliensis, quam vulgus sequitur, πυραϊθεῖα, quemadmodum et πυραϊστας, pro πυραϊστας, scribit. Lexica hic ineptiunt aut omittunt.*

Tacitus, qui Germanorum mores probe exploratos habuit, de Germanis commemorat, non apud eos templa, sed lucos Deorum religione consecratos fuisse. Verba scriptoris peruetusti, et fide digni subiiciam, qui e vicino Belgio, cui regendo erat procurator impositus, Germaniam veterem propius cognovit. Ceterum nec cohibere parietibus Deos (Cicero (2) de Persarum sacerdotibus dixit simplicius, parietibus includere Deos) neque in ullam humani oris speciem assimilare (latinitate melioris aevi, fingere formam et speciem humani oris, quae Diis quaedam similitudine tribuatur) ex magnitudine coelestium arbitrantur (omnino pulchre, et graviter; minus enim est, ex dignitate, propius, ex maiestate Deorum; quod aliter dixeris Deorum numine et maiestate dignum rentur) in libro de moribus Germanorum c. IX. Quod hic de templis, infra de simulacris affirmat, et speciatim tradit de Germanis eis mare Svecicum sitis, quos docendi causa Cisbalthianos voco, Tacitus Naharvalos nominat, M. G. c. XLIII. Erant hi priscis Saxonibus finitimi, et Svecorum orientalium portio, qui vicinis usu, commerciisque noti, et societate superstitionis coniuncti fuerunt. Sveci Semnones (non Senones, qui Galli erant) Albis accolae, ab eoque summe ad Svecum fluvium porrecti, nec remoti a nostris finibus, lucos habuerunt, eosque magna animi reverentia coluerunt, M. G. C. XXXIX. Apud Frisios celeris erat Baduhennae lucus, non extructum templum. *Annal.* IV. 37. Non secus de Chaucis, Saxonibusque vicinis existimandum, quam procedente tempore, ut in aliis, sic quoque in templis struendis Romanos secuti (aa) sunt, imo et iam Taciti aetate templum Tanfanae existit apud Marsos, Germaniae populos, Rheno inferiori propinquos, *Annal.* I. 51. Ut Romani in templis, sic in lucis Germani de republica deliberaturi convenerunt, quod consignavit Tacitus, et olim retulit de Svecis Semnonibus, Saxonum Orientalium vicinis. M. G. cap. XXXIX. Stato tempore in sylvam auguriis patrum, et prisca formidine sacram, omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt. Idem hoc de Batavis, Francorum Tentonum, quos Procopius descripsit, vicinis, testatur Cornelius, et scribit Civilem, proceribus in sacro nemore congregatis, iniurias et damna, Romanorum armis illata exposuisse, *hist.* VI. 14. Caesar gravis scriptor, et oculatus testis, de Gallis nibilo secius tradit, in loco (forsan luco legendum) consecrato, ad disceptandas lites convenire, de bello Gall. lib. IV. c. 13. Erantque hi luci incaedui, quia sacri, ubi conlucare, id est, ramum

Dddd 3

(2) Lib. II. de Leg. Huc spectat antiquissimus poeta Aeschylus in Persis v. 811. seq. Quem in eadem tragoedia τῆμυθ' αἰδέεσθαι v. 365. dicentem, Ennius, et Lucretius imitari voluerunt.

(aa) Forsan et in lucis consecrandis, in quibus Romani priusquam templa habuerunt, Deos coluerunt, auctore Varrone, ex quo protulit Augustinus de C. D. lib. IV. c. 31. De Egeriae luco passim legere licet, et pleni sunt annales. Add. Vergil. Aen. VII. 762. 763. Strabo lib. V. ubi Casaubonus legit, Ἰτέγη, a Ios. Scaligero submonitus a quibus auctoritate Ovidii dissentio, et lego, Αἰτέγη p. 240. ed. Casaub.

ramum excidere, (Ciceronis dictio est in epist.) non licebat, quod in lucis aliis, sine piaculo fieri potuit, quia profani dicebantur. Graeci (bb) lucos ἄλση nominant, eaque a Ἀλοῖς ἱερῶς distinguunt, propter arbores ibi constitas, quas fulmine ictas, malumque portendere creditas, Romani attactas vocabant. Vetus et sine vitio servata inscriptio hoc probat. QVOD. AB. ICTV. FVLMINIS. ARBORES. LVCL. SACRI. D. D. ATTACTAE. (cc) ARDVERINT. Nam verbum hoc antiquè usurpatum est pro ARSERINT, quod mutari non debet. An vero ritus evocandi Deos ad maiores nostros superstitioni deditos pervenerit, non quidem a Tacito proditum est, veri tamen simile est, huius moris indicia non plane ibi nulla fuisse, praesertim apud primores gentis, et Romanae ditionis solo propiores, quorum multi in Romanorum exercitu militarunt, eorumque in obsidendis urbibus, et evocandis Numinibus consuetudinem haud ignorare potuerunt.

(bb) Poetae etiam templa lucos appellant. Strabo lib. IX. οἱ ποιητὰὶ κοσμάων, ἄλση καλεῖντες τὰ ἱερὰ πάντα, καὶ ἢ Ἀλά.

(cc) In prosa extra inscriptiones concinnata, TACTAE. Sic Livius XXIX. 20. Quae Locris in templo Proserpinae tacta, violata, elataque inde essent. Tacta, ubi εἰδίπτες, de coelo. Coelitus, non est optimi aevi, nedum Ciceroniani.

§. IV. Qvandonam vero Romani primum templa extruxerint, et cuius auspicio Regis fieri coeperint, exquirendum est, propterea quod scriptores, qui huius instituti originem tradunt, multum discrepare adnadverto. Nec tamen ita haec res difficultatibus implicata est, ut eius expediendae ratio me fugiat, si incerta et fabulosa templorum initia, a certioribus illorum documentis recte, et iusto temporum ordine, distingvam. Igitur, solenne magis et seiunctum a fabulis, quoad in ultima temporum caligine sperari potest, auspiciam a Romulo, urbis conditore, repeto, splendorem vero, et perfectioris structurae gloriam, Tarquinio Prisco relinquendam esse arbitror, qui maiori sumptu atque elegantia struxit templa et adornavit. Nam si ad ultima Iani tempora respicio, rudem aedificandi disciplinam, materiamque vulgarem, et parvas moles, ex stramine, cannis, cespite, aut e ligno eductas, nullisque ornamentis distinctas ultima illa et inculta aetate fuisse, non temere affirmo.

De templis a Romulo et Numa exaedificatis non modo eruditae antiquitatis vestigia, sed etiam luculenta passim testimonia inveniuntur. Ianus autem, ut ratione et argumento colligitur, primus fuit templorum in Latio conditor, quippe quem in supplicationum formulis, et sacrificiis, Latini Romanique veteres semper praefati, ab eoque res sacras auspicati sunt, ut hoc indicio primi templorum effectoris nomen religiose usurparent, memoriamque eius grati animi causa in templis et sacriis quotidie renovarent. Quam sententiam confirmant prisca scriptores, quorum fragmenta supersunt, Fabius Pictor,

Pictor, Xenon, Varro, ex iisque Macrobius, et Augustinus, iste lib. I. Saturnal. c. 9. hic lib. VII. de C. D. c. 9. Alii tamen Faunum eo honore dignati sunt, primaque ab eo fana et condita, et appellata esse contendunt, atque ut hoc assequantur, originem vocis asferunt, eaque subnixi putant, templa ideo fana dici, quod a Fauno nomen ferant, neque alio, quam hoc conditore, gloriantur. Verum convenientior deducendi ratio suadet, ut origo huius nominis a fando potius, quam a Fauno repetatur. Faunos ipsos hinc arcessit Isidorus, quippe qui futura significantes vocem mittebant, id est, in lucis (non in templis) dari solebant. Orig. lib. VIII. c. ult. Tertullianus existimat, templa post Numam fuisse condita, Apologet. cap. XXV. Ego non Afri huius auctoritate, quae alioquin apud me valet, sed idoneis temporum argumentis adducor, ut credam, Romae templa ante Numam, atque adeo ante Hierosolymitani templi I. excidium structa, sed marmoreis nondum columnis subnixa, neque aureis, argenteisque imaginibus et ornamentis cumulata fuisse. Tantum abest, ut credam, Romanos occasione excisi Hebraeorum templi, primum ad aedificanda templa excitatos, ut multo magis existimem opus esse testimonio ad confirmandam, quam adlaxi, sententiam, quippe in auctoritate Veterum, Dionysii imprimis, et Livii, congruentibus temporum rationibus, innixam.

§. V. At longe alia mens Christianis fuit, qui templorum splendorem elegantiamque pro nihilo putarunt, nec modo nullas opes in iis extruendis consumpserunt, sed nomen quoque abominati sunt, ut factis ostenderent, nihil apud se valere molis altitudinem et magnificentiam, quae a vero Dei cultu seiuncta sit, et nullo pietatis, sanctimoniaeque mentis praesidio nitatur. Aras igitur, et delubra, ac templa, statuas et simulacra, solenni superstitionis ritu dedicata, nec sibi convenire, nec Deo placere, affirmarunt, religionemque in privatis aedibus, atque in locis clausis et latebris, iniecto suppliciorum metu, procurarunt, et omisso, quod fugiebant, templorum nomine, domos Dei, domosque orationum, ecclesias, conventicula, basilicas, sacraria, Graece οἶκός, appellarunt, et pro ara atque altari, mensa lignea usi sunt, eamque diminvente loquendi modo, altarium dicere consueverunt. Id vero crimini datum Christianis est, quod aris, templisque carerent, et sacra sua tanquam conspectu indigna occulerent, pollutoque et pudendo religionis genere, mentes manusque suas contaminarent. Hinc infensi Christianorum sectae homines, et publici veritatis hostes non temperarunt a calumniis, et pios puerosque ritus infectati, Christianos lucem fugere, et sceleris causa in tenebris et caligine versari, rudes sapientiae, et virtutis expertes, negotiorumque imperitos, sed licentiae et lasciviae deditos, impudenter obiectare ausi, ad convitia adiecerunt saevitiam, neque a suppliciis se continuerunt. Christiani contra in Dei beneficio sacra sua numerarunt, et cur templa recufarent, graves causas exposuerunt, modeste affirmantes, Deum non habita-

re in simulacris, nec templis includi, neque caesis victimis, sed votis precibusque placari. Non ergo templis se uti, neque aris egere, nec mactare hostias, neque simulacra venerari, qui soli Deo fidem obligassent, quem sacra procurantes solum colerent, praescriptamque ab eo cultus formulam, et constitutam rei Christianae disciplinam fervarent unice, et sequerentur.

Veteres Christiani, non modo superstitiones, sed etiam nomen rei, superstitionibus dicatae, et impietatis suspicionem, perinde ac ipsam impietatem, summa cura studioque vitandum censuerunt. Quo factum est, ut verbis minus Latinis exprimerent sacros conventus, dummodo se ab impiis coetibus significanter distinguerent ac separarent. Conventicula nominarunt Arnobius, Lactantius, et Orosius, (dd) ille lib. IV. adversus gentes, iste lib. V. c. 11. hic scriptor diligens et historicus, sed stylo ad inclinantis aevi consuetudinem verso, vocabulo tamen, de quo nunc agitur, satis Latino, et auctoritate Ciceronis confirmato. lib. VII. hist. c. 12. Augustino familiare domus vocabulum est, Graecos opinor, imitato, inter quos divinus scriptor Matthaeus τὸν οἶκον πρῶτον (ee) extulit, cap. XXI, 13. quem huius dictionis retinentes sequuntur Marcus XI. 17. Lucas XIX. 46. Hoc modo domus orationum ab Augustino dicitur, in epistola ad Aurelium LXIV. Haud aliter in edictis Imperatorum οἶκος nomen legitur, quod ex Eusebio constat. H. E. lib. XII. c. 17. Rufinus interpres (ff) more suo evagari solitus, orbitamque egressus, non domum, sed conventiculum exponit, vocabulumque per se, et usu Latinorum nihil turpe significans, atque a scriptoribus rei ecclesiasticae receptum, ac tritum usurpat, eaque ratione excusari potest. Eodem vocabulo usus est A. Marcellinus, scriptor non quidem elegans, sed reipublicae gnarus et prudens, qui ritus Christiani conventiculum nominat, idque in basilica Sicinini (scriptores ecclesiastici basilicam Liberii, Rom. Antistitis nuncupant) fuisse testatur, lib. XXVII. c. 3. Eusebius H. E. lib. IIX. in principio capituli septimi decimi, nuncupat τὰς ἐκκλησίας, et superiori eiusdem libri capite tertio decimo, τῶν ἐκκλησιῶν τὰς οἰκὰς appellat. τῆς ἀληθείας οἶκον, idem l. II. c. 56. de vita Constantini. Antiquissimus Latini coetus doctus Tertullianus nomine domus Dei cohenestavit, in libro de idololatria. Idem, opinor, primus Latine dixit ecclesiam, eodem in loco, et alibi. In numero multitudinis Zeno Veronensis pronuntiavit conventus ecclesiarum, et vocabulis idem significantibus, interpretatus est, domum Dei. Serm. in Ps. CXXXVI. Vbi vitium obrepit, quod opportune sustulit in animadversionibus ad Arnobium, castigatae vir eruditionis, Desiderius Heraldus, et recte submonuit, delendam esse

(dd) Orosii Latinitatem seculo, et indoli Hispanicae, ut Senecae, Fabio, et aliis condonamus. Sed quod Graecos fontes non inspexerit, merito dolemus.

(ee) Hinc nomen profuechae, de synagoga Hebraeorum, iuxta quas perinde ac iuxta lucos gentium, fuisse hortos, arboribus consitos, docet vetus Inscriptio, nec tamen ideo erant tabernae pomariae, ut quidam putant.

(ff) Merito notatus ab Hieronymo quod referre, non est huius loci.

vocem templi, quam eo tempore non probarunt Christiani, nec receperunt. Eodem argumento explicandus, et emendandus est Salviani codex, in quo vulgo legimus, ecclesias, vel potius templa atque altaria Dei. Lib. III. de gubernatione Dei. Scite castigavit, et apte transposuit vir in doctrina, et iudicio elegans Augustus Buchnerus. Itaque templa, vel potius ecclesias, servata deinceps serie. In notis ad Plinium lib. X. ep. 97. Sicut paulo post eodem libr. Salvianus scripsit: in templa autem, vel potius in altaria, atque in sacraia Dei. Tantum pro verbis, in altaria, repono, in ecclesias. Nec tamen propterea inficior, altaria nominasse Salvianum, lib. V. et VII. de gubernatione Dei. Verum nemo putet, altaris vocem usurpasse, quam primorum temporum Christiani respuebant, altarium vero ἐκκλησίαις dici moris erat pro altari, quod nomen omnino tunc fugiebant. V. pereruditus Rittershusii commentarius ad Salvianum, ex eoque H. Oelschlegelius, vir ob diligentiam non spernendus. Amplius basilica, et domus dominica sermone veterum, Hieronymi et Salviani, celebrantur.

§. VI. Restat, ut seculum, quo templa Christianorum condita fuerint, idonea ratione argumentoque definiatur. Prima Civitatis Christianae tempora ut misera valde et aerumnis plena extiterunt, sic prohibente hostium faevitia, nullam templa aedificandi potestatem, neque opes tanto conatui pares habuerunt. Altero post Christum seculo respiravit paulisper Christiana res, et quodammodo e ruinis instaurata est, sed aliquanto post divinae veritatis cultores ac testes, haud in meliore statu, sub iratis, et infestis eorum nomini hostibus fuerunt, adeo ut minacibus et acerbis (gg) edictis, irrogatisque passim suppliciis, turbati (hh) subinde ac territi, vix reficere statim attritas vires, et colligere animos ad aedificandum possent. Tertium, et ab hoc proximum foedavit, ac prope exhaustit crudelitate caedibusque Deciana vexatio, qua finita spatium Christianis datum est, ut solatio recreati, melioris fortunae subsidio res suas constituerent, firmioresque haberent, tunc maxime, quum auctoritate Constantii Chlorig (ii) sublevarentur, et auspicio Constantini eius filii, sedata iam, at non exaturata Diocletiani libidine, prostratisque

E e e e

tisque

(gg) Edicta Imperatorum, Graece διατάγματα βασιλικὰ, γράμματα βασιλικὰ et ἐπιστολαί, apud Eusebium passim. Cuius locum, qui extat H. E. l. IV. c. 26. non recte convertit novus Eusebii interpres H. Valesius, vir nostra memoria totius Galliae doctissimus. Ibi enim τῶν διαταγμάτων notione, edicta praefectorum provincialium intelliguntur. Gv. Budaeus in expositione huius vocis ad iurisprudentiam priscam et Atticam, non ad Romanam, ut liquet, animum intendit.

(hh) Locus apud Eusebium l. IIX. c. 17. ubi ταραχθέντες, non recte exponit accuratus ceteroquin et solide eruditus interpres H. Valesius.

(ii) Sub hoc quies a vexatione nominis Christiani fuit. Vid. Eusebium H. E. l. IIX. c. 13. et de vita Constantini l. I. c. 13. seqq.

tisque ad pontem Mulvium Maxentii copiis, et Licinio omnibus fortunis everso, prospere stabilirentur. Quin vero domos publicas, rebus per intervalla tranquillis, sibi comparaverint Christiani et extruxerint, ac intermissa, aut temperata interdum acerbitate (kk) in aedibus publicis, (ll) modicis tamen, et minus exquisito apparatu exaedificatis, stato tempore sacrorum causa convenerint, non amplius dubitandi locus est, et facile ex ipsorummet hostium testimoniis, quae apud Originem et Eusebium integra, atque inviolata extant, colligitur apte, et confirmatur.

Non eadem templorum, quae privatarum publicarumve aedium apud Christianos primordia fuere, quod vel ex Celfo apud Origenem, et ex Caecilio apud Minutium Felicem, atque ex Arnobio Lactantio, Eusebio, et Salviano non obscure patet. At primis quidem rei Christianae temporibus, nullae congruunt nisi privatae aedes, et inde publicae paulatim, sed rarius, et non ubique statim, quippe nondum firmatis rebus, extructae. Tertio seculo post Decii et Valeriani furorem, maiori tranquillitate et indulgentia stetit piorum coetus, et religionis exercendae facultas, aediumque publicarum liberior usus fuit. Quarto demum Constantinus (mm) ὁ τοῦ εὐνοῦχοῦ, summam rerum adeptus orbem Christianum, pace restituta, basilicis ornavit, templaque Dei hostibus erepta, et solemniter expiata, superstitione domita passim, aut pulsa, ritu pio, et moribus Christianorum conveniente, dedicavit.

(kk) Documento sunt Galerius Maximianus, et Iovius Maximinus, qui rescissis, vel mitigatis superioribus edictis, non benignitate quadam, aut in Christianos amore, sed rei ad coetus Christiani excidium pertinentis, quam nullis viribus perficere poterant, desperatione victi, ad easque iam angustias redacti, ut vim inferre amplius non auderent, nec sine summo dignitatis suae periculo possent, a proposito crudelitatis destiterunt.

(ll) Aedes publicae Christianorum sec. II. saltem aliquae videntur extructae. Iudicium harum praebet Lampridius in vita Alexandri Severi.

(mm) Eusebius in orat. de laudibus Constantini. Vbi ἱερὰ καὶ τεμένη καὶ ἁγία μνηστέα, templa et delubra (fana ac delubra vertit Valesius) Christiano ritu consecrata describit, Lucos et delubra, in quibus erant latibula profligatorum, atque impudicorum hominum, iure evertit. Lib. III. cap. 55. de Vita Constantini. Alius τὸ τῆς ψευδολογίας τεμένη permistit, ne raperet invitos et cogeret, quos veritate flecti optaret. Lib. II. cap. 56. de vita Const. Singularis opinio de sanctitate loci, ubi erat templum Domini, effecit, ut ne rudera quidem superioris aedificii relinquerentur. Eod. l. c. 27.